



**R. P. Francisci Svarez Granatensis, E Societate Iesv
Doctoris Theologi; Et In Conimbricensi Academia
Sacrarvm Litterarvm Olim Primarii Professoris Emeriti De
Divina Gratia Pars ...**

Continens Libros III. IV. Et V. De Avxiliis Gratiae In Generali, De Avxilio
Svfficiente, Et De Avxilio efficaci Gratiae Dei

Suárez, Francisco

Mogvntiae, 1652

XXXVIII. Quid de concursis præuio in causis secundis naturalibus D.
Thomas senserit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94118](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94118)

Catholicam doctrinam, nimirum diuinam prouidentiam, nec efficientiam causarum secundarum tollere, aut impedire, neque causas secundas subterfugere diuinam operationem, aut motionem, quae illas praeuenit, & ad agendum impellit. quae duo vel iuxta doctrinam datam circa Aug. & Greg. intelligenda sunt, quod eas praeueniat, & impellat, non per generalem concursum à quo earum actio essentialiter pendet, sed per alias motiones, & applicationes quando ad fines intentos per diuinam prouidentiam necessarium est, vel intelligenda sunt generatim, & abstrahendo ab opinionibus, nimirum quod omnes praeuenit, vel dando eis virtutes agendi, & conseruando illas, vel etiam offerendo concursum & auxilium necessarium ex parte sua, & destituta voluntate sua illud quasi preparando, qualecumque illud sit, quando actu datur. Et similiter impellit eas, vel per naturales inclinationes illis inditas, vel per speciales motus superadditos, non semper, sed quando ad virtutem agendi, vel applicationem localem, vel animalem (vt sic dicam,) necessarium est. Et hunc esse debere legitimum illorum verborum sensum praeter rationem supra factam constare potest, tum ex ratione ibi subiuncta, *clameis occultissima vi ad iungenda pertinet*, quae solum improbat omnes motus impulsus, & actiones creaturarum virtute operante diuina terri, non tamen probant neri per concursum praeu, aut concomitantem, tum ex testimoniis scripturae, quae statim allegat, quae nihil aliud probant, nisi quod explicauimus, vt & ex his quae de scriptura diximus, constat.

CAPVT XXXVIII.

Quid de concursu praeu in causis secundis naturalibus. D. Thomas senserit.

Venio ad D. Thomam, sub cuius sola vmbra, & autoritate prioris sententiae auctores eam defendunt, & inter eos Alvarez dixit sine dubio esse expressam sententiam D. Thomae. Sed sine dubio ita est D. Thomae, sicut Augustini, de quo idem affirmat, non tamen probat, vt notauit. Primum ergo D. Thomas in summa illam sententiam non docuit, sed potius hanc nostram satis aperte indicat, nisi in sensu improprio per vim exponatur. Solent autem in primis allegari D. Thom. 1. part. q. 105. art. 4. & 5. (omitto autem nunc quartum, quia in eo specialiter tractat de voluntate, de qua postea dicturi sumus.) In art. ergo 5. agit de omni causa secunda operante. Ex in corpore ita concludit. *Deum in omnibus int. me operatur.* Et hanc assertionem probat ex Scriptura Iai. 26. *Omnia opera nostra operatus es in nobis Domine.* & Iob. 10. *Pelle & carnibus vestisti me.* quae, vt vidimus, in omni proprietate solum probant concursum cooperantem. Hunc ergo in illa conclusione intendit D. Thomas. Quia vero in discursu rationis vtitur illis modis loquendi, secundum agens agit in virtute primi, & primum agens mouet secundum ad agendum, & Deus mouet res ad operandum, quasi applicando formam, & virtutes rerum ad operationem. Ideo alij auctores interpretantur omnia haec dici propter praeu influxum in causam; nos autem dicimus ad omnia illa sufficere influxum in causam, dando illi formam, & virtutem operandi, & conseruando illam cum concursu concomitante in effectum, quod quomodo intelligendum sit soluendo argumenta, & alia relictum est eiusdem Doctoris sancti declarando luculentius explicabimus.

Nunc vero quod ad titulum locum attinet, ex illo colligimus, D. Thomam praeter effectiorem, &

conseruationem causae ac permanentis virtutis eiusdem vnam tantum Dei operationem, seu actionem ponere ad generalem eius concursum, & illam esse hanc concomitantem influxum, & per hoc tacite docere, re alium praeu non esse necessarium, sicut ex aliis testimoniis argumentati sumus. Assumptum declaramus. Primo, quia cum D. Thomas querit, an Deus operetur in omni operante maxime interrogat de operatione per se, & immediate tendente ad eundem effectum causa secunda, hoc enim est, quod ad fidei doctrinam pertinet, & contra hoc tendunt omnia argumenta, quae D. Thomas proponit, & occasione quaestionis hoc sensu intellectae ortus fuit error, quem in corpore articuli refert. Cum ergo in principio articuli, ex eo, quod omnia agunt in virtute Dei, & quod primum agens mouet secundum ad agendum, intert. *Et utique (vtique virtus Dei) est causa omnium virtutum agentium.* Intelligi plane de causa per se, & immediate efficiente, seu efficiente ipsam actionem secundarum agentium; ergo in illis principiis, quae aliumit, non loquitur de virtute, vel motione praeu in causam, sed loquitur de virtute intrinseca, & increata ipsius primi agentis, in cuius virtute caetera agunt, & de motione intima, quae secundum agens per concursum in eius actione imbitum ad agendum iuuat. Nam si illa propositio intelligitur de motione praeu prima causa recepta in secunda, non inferretur ex ea per locum intrinsecum immediatus influxus Dei in actionem creaturae, sed ad summum mediantem illa motione indita ipsi causa secunda. Melius ergo intelligitur illud principium de motione adiuuante concomitante, & simultanea, & imbita in actione causa secunda.

Idem sumi potest ex altera ratione quam subdit, quia Deus est causa vniuersalis totius esse, & ideo intus operatur in omnibus, haec enim ratio de consensu concomitante, concludit non de alio. Estque considerandum D. Thomam vnam tantum ponere assertionem, & ad eam probandam, & explicandam omnes rationes dirigere, & variis modis loquendi vt, non quia existimauerit quociescumque Deus operatur cum causis secundis, duas semper actiones, seu motiones, aut concursus eis tribuere, (nunquam enim hoc ita declarauit,) sed vt doceret concursum Dei etiam in ipsa actione causa secunda imbitur, esse altioris ordinis & perfectionis, & orti ex vniuersalisima virtute causa cui subordinatur, non vero e contrario. Cum ergo D. Thomas duplicem illam actionem Dei numquam declarauerit, verum simile non est tam confusae, & obseure, & sine speciali probatione illas tradidisse, vbi rem ex professo, & quasi in ultimo testamento disponebat, ac disputabat. Cuius etiam argumentum nihil est, quia nihil contra duplicem concursum in argumentis obiecit, sed contra vnum tantum, & in solutionibus defendendo vnum concursum comitantem putat se omnibus difficultatibus sufficienter satisfecisse. De nullo enim alio in solutionibus loquitur, & quae in eistradit hunc sensum confirmat, vt breuiter per illas discurrendo declarabo, ac secunda incipiendo, quia in illa res est clarior.

In solutione ergo ad secundum expressè dicit concursum causae primae & secundae esse vnam & eandem actionem prout procedit à primo, & secundo agente, quae cum sint diuersi ordinis possunt esse principia eiusdem actionis. Item colligitur ex solutionibus ad 1. si consideretur argumentum quod de immediata actione ipsius effectus procedebat, quia si talis actio est à Deo, superflua esset actio causa secundae, cum actio Dei sufficiens semper existat; quod necesse est intelligi de actione per se, & immediata, alias conditionalis propositio impertinens esset, & falsa. Respondet autem D. Thomas Deu qui-

dem

dem per illam actionem sufficienter agere, non in omni genere agentis, sed per modum agentis primi, & propterea non esse superfluum cooperationem secundi agentis; ergo ex vi influxus primi agentis nullum alium concursum D. Thomas requirit. Considerandum etiam est argumentum tertium cum solutione, erat enim argumentum Deum operari sufficienter in omni operante, quia omnibus dedit virtutes operandi, easque conseruat. Respondet autem non solum hoc modo operari in omnibus causis secundis, sed etiam eas applicando ad agendum, quod verbum *applicandi* statim alij ad concursum prauum applicant. Ego verò, vt responso D. Thomæ sit sufficiens, inde colligo in phrasi, & modo loquendi D. Thomæ etiam applicationem ad agendum secundi agentis à primo, quæ sit per se ac intimè, & quasi essentialiter requisita, non esse aliam ab ipsa actione, qua secundum agens vltimatè, & quasi in actu secundo ita applicatur ad agendum, vt passum virtute sua contingat, ac proinde non fieri à Deo, nisi per concursum in ipsam actionem imbibitum. Nam si hoc ita non esset, non satis respondisset D. Thomas Deum non tantum operari dando, & conseruando virtutem agendi, sed etiam applicando ad agendum, quia si illa applicatio esset prauia, adhuc ex vi illius Deus non concurreret immediatè, & per se ad actionem causæ secundæ, sed vel per accideus dando aliquam conditionem sine qua non, vel ad summam dando complementum aliquod virtutis agendi, quam doctrinam paulo post tractando locum alium questionis 3. de potent. magis explicabo.

Denique ad hoc confirmandum expendo, & declaro verba tituli illius articuli, vt dicitur Deus operatur in omni operante; illa enim particulam, duobus modis potest intelligi, primo vt dicat habitudinem subiecti, ita vt quæritur an omne operans sit subiectum in quo Deus operetur, secundò dicere potest particulam habitudinem intimæ præsentia ad operandum, ita vt sentius sit, an Deus in omni operante operetur, tamquam in illo intimè existens, & cum illo intimè operans. Quòd ergo D. Thomas in priori sensu questionem non mouerit, faciliè persuaderi potest ex dictis, quia neque ex argumentis aliquid obicit contra illum sensum, nec argumentum, sed contra ex verbis Isaia sumptum in illo procedit, nec in corpore articuli ad illum responderet, neque aliquam rationem affert, qua responsionem in illo sensu affirmantem comprobet. Intendit ergo alium sensum, quem non solum dicta omnia contrario modo inducta indicent, sed etiam verba participialis assertionis responsionis aperte declarans, sic enim concludit, *sequitur quòd Deus in omnibus intimè operatur.* quod sufficientissimè & verissimè ratione conseruationis formæ, & virtutis agentis simul cum concursu simultaneo eiusdem actionis intelligitur. Et explicatur optimè ex verbis eiusdem D. Thomæ 1. part. quæst. 8. art. 1. ad 3. vbi ait, hoc ad maximam virtutem Dei pertinere, quod immediatè, in omnibus agit: vnde nihil est distans ab eo, quasi in se illum non habeat.

6. Discursum, & ponderationem huius loci qui in hac materia esse debet capitalis, multum confirmat modus loquendi D. Thomæ de hoc concursu in hac materia de gratia 1. 2. quæst. 109. ferè per totam: nam in 1. art. sic ait. *Actio cuiuscumque agentis creati pendet à Deo quantum ad duo, vno modo in quantum à Deo habet formam, seu perfectionem per quam agit: alio modo in quantum mouetur ab ipso ad agendum.* Deinde addit agens creatum per propriam formam habere efficaciam ad effectum sibi proportionatum: vt autem vitra illum agat indigere forma superad-

data; iatis aperte insinuans ad effectus proportionatos non indigere forma, vel perfectione superaddita, sed tantum motione, id est, adiutorio, & cooperatione primi agentis. In quotellimonio duo pondero, vnum est duotantum postulare D. Thomam ad actionem causæ, vnum ex parte ipsius causæ, scilicet virtutem agendi; alterum ex parte Dei motionem, seu concursum, ac proinde alium esse à mente D. Thomæ duas actiones vel motiones ex parte Dei postulare. Alterum est quando causa secunda habet virtutem proportionatam suo effectui non indigere ad agendum noua virtute, aut perfectione in se recepta, ac subinde tunc non esse necessarium influxum in causam, quia si talis influxus esset necessarius, non posset per illum non dari causæ noua perfectio, & virtus actiua vitra illam, quam naturalem habet, vt supra cap. 28. ostensum est, hoc tamen aperte D. Thomas negat. Eodem modo in art. 2. 3. & 9. vnicum tantum concursum generalem ad opera naturalia requirit, quod vocat *auxilium Dei mouens*, vt supra vidimus: cur autem ita illum appellat, supra etiam tactum est, & paulo post iterum dicetur.

Ad hæc loca respondent aliqui ex Thomistis, sub motione Dei comprehendere D. Thomam concursum præiudicem, & simultaneum, eo quod licet realiter ad illud inter se distinguantur, tanquam vnū numerare, quia tamen ordinantur ad vnum effectum, & ideo quasi vnum censentur. Sed hæc expositio à nullo antiquo Thomista data est, nam Capreol. in 2. d. 28. quæst. 1. ad 12. vt supra allegauit, negans cum Gregorio necessitatem motionis præiudicis ad auxilium generale, dicit, concordare D. Thomam, & citat hunc locum Conradus etiam ibi de vnica influentia generalis concursus hæc loca intelligit referens ad ea, quæ Conradus dixerat quæst. 9. art. 4. vbi in fine corporis ait illam generalem influentiam esse solam efficientiam actionis voluntatis prout est à Deo præter alia, quæ ex quæst. 79. supra allegauimus. Deinde est talis expositio contra proprietatem verborum, & voluntaria, quia illo modo etiam virtus actiua causæ secundæ, & concursus Dei sunt vnum, quia ad vnum effectum ordinantur, & in beatitudine dici posset, duo tantum requirantur videndum Deum, scilicet, lumen, & intellectum, quia licet requirantur obiectum, seu diuina essentia per modum speciei, vnum cum lumine, quia ad eundem effectum tendit. Denique mirum profecto est, vt supra dicebam, quòd D. Thomas crediderit duas motiones Dei esse necessarias, & quod toties, & in tot articulis semper de illis vt de vna tantum loquatur, propter solum ordinem ad eundem effectum, cum id sit valde metaphoricum, & inusitatum.

Alij ergo interpretantur D. Thomam loqui in illis articulis de concursu præiudicem, & in causam. Ita Aluarez & probat, quia S. Thomas dicit, *quòd per illam motionem Dei accipiat virtutem ipsa causa secunda ad operandum.* Longè verò aliter expoluit ibi Caietanus, nam dicta quæst. 109. art. 1. in principio dicit asserere D. Thomam illud principium, quòd agens secundum indiget motione primi agentis ad mouendum, vt ostendat, *quòd non solum dependemus in esse, & conseruari, sed etiam in operari, itaque ipso non cooperante non possemus operari.* vbi per illam motionem intelligit diuinam cooperationem, & nihil aliud existimat necessarium. Deinde si D. Thomas loquitur de concursu præiudicem, cum vnicum tantum requirit, sequitur ex illius sententia non esse necessarium concursum immediatum Dei in actionem creature, sed in illam solum influere medio concursu præiudicem, quod nec dictus author admittit, neque dici potest, vt in cap. 28. & sequenti latè declaratum est. Denique falsò D. Thomæ imponitur quòd in alijs articulis dicat causam.

Alia loca S. Thomæ quæ primum illum confirmant. 1. 2. q. 109. n. 1.

causam secundam accipere virtutem ad operandum à prima per motionem prauiam; nihil enim tale in illis articulis inuenitur, sed solum quod causa secunda pendet à prima quoad duo, scilicet, quoad virtutem agendi, & quoad actualem motionem, non tamen dicit accipere virtutem, sed potius ait virtutem supponi ad motionem quando effectus est proportionatus naturali virtuti causae secundae, & tunc negat esse necessarium aliquid perfectionis illi addi. Vnde alij Thomistae etiam si dicant prauiam motionem esse necessariam, negant per illam addi, vel consummari virtutem agendi, quia aliàs tolleretur omnis efficientia causarum secundarum ante actualem concursum Dei. Et idem P. Alvarez negat illam motionem tenere se ex parte actus primi, quod planè repugnat, si dat causae virtutem ad operandum, vt in dicto cap. 28. & sequenti latè dictum est. Necessarium ergo est, vt D. Thomas loquens de vna generali motione primi agentis per illum concursum simultaneum intellexerit, quia ille est intimior, & ex vi essentialis dependentiae euidenter necessarius.

Atque ad hunc modum possunt induci omnia, quae de ista dependentia, & motione causae secundae à prima tradit latè D. Thomas 3. contra gent. c. 66. & 67. quae solent in contrarium allegari, quia in eis dicit Doctor sanctus omnes causas secundas agere in virtute primae, & Deum esse causam operandi omnibus operantibus; nam vtrumque voluit aduersarij intelligi propter influxum prauium in causam. Sed non ita est; nam si omnes actiones quas illis capitulis ad illam conclusionem probandam D. Thomas affert, attentè considerentur, nihil de tali concursu prauio in eis inuenitur. Quia solum duobus praecipuis modis declarat Deum esse aliis operantibus causam operandi, scilicet, quia eis dedit virtutes operandi quas semper conseruat, & quia agere non possunt, nisi Deus illarum effectibus, & actionibus esse influat, quod facit per concomitantem concursum: & ratione illius dicuntur omnia agere in virtute Dei, vt paulo post in cap. seq. amplius explicabo.

In cap. verò 70. vt declaret, quomodo idem effectus sit à Deo, & naturali agente, prius obicit tria argumenta, quae omnia supponunt illam efficientiam in hoc consistere, quod virtus diuina, & virtus causae vnae, & eadem actione totum effectum naturalem producant. Deinde modus illius causalitatis per hoc solum declarat, quod primum agens dat secundo virtutem agendi, & conseruat eam, & applicat illam ad agendum, vbi necesse est loqui de applicatione, quia per se & immediatè sit effectus. Nam inde infert, sicut secundum agens immediatè est actiuum; ita virtutem primi agentis esse immediatam ad producendum effectum; quod certè non esset consequens, nisi illa applicatio ad agendum esset intimè ipsi effectus, & per actionem ipsam per se, & immediatè terminatam ad ipsum fieret, vt circa solutionem ad tertium primi testimonij ponderaui. Et iuxta hunc sensum procedunt reliqua, quae respondendo ad argumenta docet. Nam in primis concedit vnicam esse actionem causae primae concurrentis cum secunda, & ipsius causae secundae, neque in generali concursu ponit vnquam aliquam actionem quae sit solius Dei. Deinde ostendit neutram causam esse superfluum, quia secunda agit in virtute primae, quatenus ab ea essentialiter in agendo pendet, & quia prima vult locum agendi concedere causae secundae, illi efficientiam suam ex immensa sua bonitate attemperat. Ac tandem ex eodem principio facillè declarat, quomodo totus effectus sit à duobus causis subordinatis inter se. Non dicit autem aliquam ex his causis, scilicet, primam habere duplicem

Fr. Suarez de Gratia Pars II.

influxum in effectum distinctum ab influxu causae proximae, nimirum vnum per virtutem instrumentariam denudè, & actualiter factam in causa secunda & alium immediatum in ipsum effectum, & proximè procedentem à virtute increata in ipso Deo existente, alioqui debuisset D. Thom. etiam respondere cur hoc superfluum non sit, vel quae imperfectio causae secundae tot Dei actiones, & influxus requirat, quod semper in agendo niti debeat immediatè in ipsa virtute increata Dei, & hoc satis illi sit ad dandum esse suo effectui, & ad dependentiam, quam in hoc debet ab ipso esse per essentiam.

Alia sunt plura D. Thomae loca, quae in vtramque partem ab authoribus vtriusque sententiae agitantur, quae nunc omitto, quia vel superioribus similia sunt, vel in argumentis primae sententiae tanguntur, & in consequenti tractabuntur, vel pertinent ad concursum cum voluntate libera, de quo dicere incipimus c. vel denique pertinent ad auxilium efficax gratiae, de quo in lib. 5. dicturi sumus. Aliis ergo omisissis praetermittere hic non possumus locum celebrem in q. 3. de potent. art. 7. quod nos maxime premunt defensores prioris sententiae, quia in eo, praesertim in solut. ad 7. aperte videtur D. Thom. ponere in causis secundis duplicem virtutem necessariam ad agendum, vnam firmam, & permanentem, quae est virtus connaturalis vnicuique causae, aliam fluentem, quae à Deo fit in re naturali, & per eam actualiter agit, & de hac dicit esse per modum intentionis, & habere esse incompletum ab instar motus instrumenti, vel vt species coloris in aëre, propter quae verba dixi in lib. 1. de Auxiliis D. Thomam in eo loco sensisse dari in causa secunda aliquid prauium actu inditum à causa prima ad agendum; illam verò sententiam postea tacitè retractasse quae responsio reicitur à nouioribus Thomistis, & video antiquiores etiam non ita de eo loco sensisse: nam Capreolus, & Caietanus, vt supra dixi, doctrinam illius articuli allegant, & sequuntur tanquam consentaneam, & conformem doctrinae eiusdem S. Doctoris, & ideo paulo diligentius articulum illū considerare libuit, & simul occasione illius omnia, quae de reliquis locis diximus, amplius declaremus, & confirmemus.

Primo ergo considerandus est discursus corporis articuli, in quo impugnato errore, qui secundis causis proprias suas efficientias negabat, ita concludit. Non ergo sic est intelligendum; quod Deus in omni re naturali operetur, quasi res naturalis nihil operetur, sed quia in ipsa natura, vel voluntate operante Deus operatur. vbi particula in, (vt supra notauimus) non dicit habitudinem ad naturam, vel voluntatem vt subiectum, sed vt principium operationis suae, ratione cuius dicitur Deus in ea operari; aliàs nec assertio responderet quaestioni; neque per illa verba explicaretur Deum efficere ipsammet operationem naturae. Nam in titulo non quaesuit, an Deus operetur in natura operante, sed an operetur in operatione naturae, id est, an operetur ipsammet operationem naturae; in eodem ergo sensu loquitur in illa assertionem affirmando Deum efficere operationem naturae, & voluntatis, & ideo statim aggreditur explicare modos quibus vna causa esse potest principium actionis alterius: ponit autem quatuor modos. Primus est dandò virtutem agendi; secundus est conseruando illam, tertius vt applicans, & mouens virtutem agendi inferioris causae; quartus vt principale agens respectu instrumenti. Ex omnibus his modis dicit, Deum esse causam efficientem actionis causae secundae: ex illis tamen quatuor modis duo primi ad praesentem quaestionem non spectant: nam etiam Durandus & alij qui negant necessitatem generalis concursus, illos mo-

P

dos

Omitto-
tur alia loca
D. ThomaeLocus q. 3.
de potent.
art. 7.12.
Explicatur
accuratius.

dos non negant. quia illi modi efficiendi non sunt per se, & immediati respectu actionis creaturæ, sed remoti, & quasi per accidens, sicut causa causæ, est causa causati, sed præmittuntur à D. Thomæ; tam in illo loco, quàm in alijs, quia explicant essentialem dependentiam causæ secundæ, & virtutis eius in suo esse à causa prima, ex qua oritur dependentia etiam in agendo. Oportet autem notare illos duos modos necessarios esse per actiones, seu influxus in re ipsa distinctos, quia productio, & conseruatio esse potest eadem actio continuata. Vnde per se tantum distinguuntur habitudine ad esse, vel non esse, quod præcessit, vt ex Metaphysica constat.

13. Tertius modus quo Deus dicitur causa actionis
Quomodo causa secundæ, erat quatenus mouet illam ad a-
D. Thom. gendum, & addit D. Thom. hæc verba. In quonon
Deum mo- intelligitur collatio, vel conseruatio virtutis actiue, sed ap-
uere cau- plicatio virtutis ad actionem, per quæ explicat satis
sam secun- hunc motum non esse talem cogitandum, vt per
dam ad eum conferatur causæ secundæ noua aliqua virtus
agendum. agendi, & consequenter non esse concursum præ-
uium, qualis à nouioribus Thomistis cogitatur. Nam quidam illorum fatentur addere comple-
mentum virtutis; alij verò licet nomen refugiant, rem planè fatentur, dum aiunt per illam motio-
nem conferri causæ secundæ aliquid quod est for-
male principium efficiendi actionem causæ secun-
dæ: ex quo necessariò sequitur tale principium conferri causæ secundæ per illam motionem, ac
subinde conferri aliquam virtutem agendi, princi-
pium enim agendi per se non agit sine virtute, vt
est per se notum. Explicat ergo D. Thomas motum
illum esse tantum applicationem virtutis ad agen-
dum, quod duobus modis potest intelligi.

14. Primus
modus ex- plicandi
dictum illud.
Primò proprio, & vulgari modo de applicatione
antecedente, quæ solet esse conditio necessaria ad
agendum, & antecedere solet in agentibus creatis
quoties agere incipiunt, maximè quando agunt ex
necessitate naturæ, nam de liberis postea dicemus.
Illa enim cum positis omnibus requisitis ad agen-
dum necessariò agunt, si habeant totam virtutem
per se necessariam ad agendum, & non agant, non
potest esse nisi ex defectu alicuius conditionis ne-
cessariæ, quam applicationem præuiam ad agen-
dum nunc vocamus: ac proinde si virtus est eadem,
& antea non agebat, & nunc agere incipit, necesse
est, vt aliqua applicatio præcesserit. Sed in hoc est
notanda differentia inter potentias vitales, quæ
immanenter agunt, & virtutes agentes actione
transiente, nam in prioribus semper applicatio
materiæ circa quam, fit per aliquam mutationem
in ipso agente, quamuis sit semper necessaria in ea-
dem potentia; etenim si potentia sit appetitiua, re-
quirat præuiam applicationem materiæ, quæ fit per
cognitionem, & sic applicatio illa fit per mutatio-
nem in apprehensiuâ potentia. Si verò sit appre-
hensiuâ, & antea nihil operetur, oportet, vt ab ali-
quo obiecto excitetur, quod non fit sine aliqua mu-
tatione, & impressione speciei; si verò iam opera-
tur, potest per potentiam appetentem ad alium a-
ctum applicari, & tunc applicatio fit per mutatio-
nem in appetitu factam. At verò in his, quæ agunt
actione transiente, applicatio sæpè fit per motum
ipsius agentis; aliquando verò fieri potest per so-
lam passi mutationem. In toto autem hoc genere
applicationum, motio quæ interuenit fit ordina-
riè, seu intra ordinem naturæ sistendo per causas
secundas, & per motus phisicos, & nobis notos, vt
sunt motus locales in rebus inanimatis, & actus vi-
tales per productiones phantasmatum, aut alia-
rum specierum intentionalium in viuientibus. Et
simul etiam tota hæc applicatio fit à prima causa vt
concurrente cum secunda mouente, & applicante
aliam, & tunc respectu applicantis actiue Deus a-

git per concursum simultaneum; respectu verò
causæ applicatæ est motio præuiâ; non tamen per
se requisita ex vi essentialis dependentiæ à prima
causâ, sed ex defectu conditionis requisitæ, quæ
supponitur præcedere, quod accidentarium est.
Nec etiam illa semper recipitur in causâ, quæ appli-
catur ad agendum, sed tunc solum quando appli-
catio fit per directam actionem in ipsam, quod
non est in omnibus necessarium, vt declarauit.

Præter hos autem modos applicationum, non
potest cogitari alius qui fit per motionem condi-
tionis tantum præuiâ ac necessariâ ex parte causæ
secundæ, vt præcisè in actu primo intellectæ. Et
ideo sicut in locis antea tractatis dixi, ita & in hoc
verisimile mihi non est D. Thomam loqui in hoc
modo applicationis. Nam licet verissimè sit, quo-
ties illa applicatio necessaria est, & fit, illam facere
Deum; tamen neque est per se necessaria in omni
actione creaturæ, neque fit immediatè à solo Deo
secundum communem cursum naturæ: hic autem
tractamus de concursu, quem Deus per seipsum, &
immediatè confert in omni operatione causæ secun-
dæ. Et ideo illo peculiari modo ipsamet exhibitio
actionis potest dici applicatio agentis ad agendum,
non præuiâ, seu in actu primo, sed quasi formalis,
& in actu secundo, & hæc per se necessaria est in om-
ni agente, quoties de nouo agere incipit, & de hac
intelligo loqui D. Thomam, & in illo articulo, &
quoties dicit, Deum per generalem concursum appli-
care causam secundam ad agendum. Ad hoc autem
non est necesse vt aliquid præuiâ ponat in causâ se-
cunda, imò neque illud intelligi potest, quia cum fit
formalis applicatio, quæ per ipsam fit, inter illam,
& principium agendi non potest altera applicatio
intercedere, nam omnis alia quæ cogitari potest,
præcedit, & tenet se ex parte actus primi; hæc ergo
applicatio eo modo à Deo fit, quo ipsa actio causæ
secundæ, cum sint idem: actio autè fit per se, & im-
mediatè à Deo per seipsum, seu per concursum si-
multaneum in ipsa; ergo eodem modo fit dicta appli-
catio; ergo propter illam non oportet D. Thomam in
illo tertio modo ponere influxum præuium in causâ.

Instabis, expressè D. Thomam docere per hanc
applicationem moueri virtutem causæ secundæ ad
agendum: quomodo autem moueri potest nisi ali-
quid in se recipiendo? Vnde D. Thomas semper
titur exemplis, quæ supponunt motum receptum
in re quæ applicatur ad agendum, vt est applicatio
cultelli ad scindendum, vel calami ad scribendum.
Respondeo D. Thomam vti verbo mouendi ad ex-
plicandam dependentiam secundi agentis à primo,
& superioritatem ac potestatem primi agentis in
secundū: non oportet autem illud verbum in phy-
sico rigore, & proprietate sumere, sed iuxta mate-
riæ exigentiam ac capacitatem. Sicut ergo applicat
causam secundam ad agendum, nihil aliud est, quàm
illam actioni suæ subiungere, ita mouere illam ad
agendum, per se, ac formaliter loquendo, non est
nisi illam actu agentem constitutere, quod non ali-
ter fit effectiue à Deo, nisi efficiendo ipsam actionem
eius, quod facit per influxum in ipsa actione imbi-
bitum. Et sic etiam dixit D. Thom. in eodem art. &
in 1. p. q. 36. art. 3. ad 3. virtutem causæ primæ coniungere
causam secundam suo effectui. Non enim coniungit
illam, nisi vel potestate, dando illi virtutem agen-
di, vel actu efficiendo actionem eius, hoc enim
modo applicat vltimatè illam, & mouet, seu iuuat
potius ad agendum.

Addere verò possumus Deum concurrere cum
causâ secundâ per voluntatem suam præbendo co-
cursum; potest ergo actio causæ secundæ compara-
ri vel ad actionem Dei externâ, vel ad voluntatem
Dei: priori modo non tam dicitur causâ secundâ
moueri à Deo, quàm iuuari, vel cum illa cooperari
Deum;

Deum; posteriori autem modo dici potest moueri à Deo ad agendum, non per impressionem externam; & prauiam in illa factam, sed per quandam subordinationem; ad eum modum quo intellectus dicitur moueri à voluntate, quando ad credendum applicatur, non quia voluntas aliquid imprimat intellectui ad actum fidei; & principium illius, ut quidam nouiter inducere tentant, sed propter sympathiam, & naturalem subordinationem potentiarum, ut est communis Philosophorum consensus. Sic ergo dicitur causa naturalis moueri ad agendum per voluntatem diuinam, quia eo ipso, quod illa est sufficiens constituta, & expedita in actu primo ad agendum, si uult illi præbere concursum, statim prodit in actionem, etiam si voluntas Dei nihil nouum in illam exprimat. Est tamen discrimen in exemplo adducto, quia voluntas hominis applicando intellectum, neque aliquid præuium illi imprimit, neque per se, & immediate influuit in actionem intellectus: voluntas autem Dei applicando causam secundam efficit per se, & immediate actionem eius, & efficiendo actionem; causam etiam secundam ad agendum applicat.

Superest quartus modus, quem in eodem articulo D. Thom. addit, dicens Deum efficere actionem causæ secundæ per modum principalis agentis, in cuius virtute causæ secundæ tanquam eius instrumentum agit, quod longo discursu declarat, tamen summa est, quod solus Deus dat esse virtute propria; alia autem causæ in virtute Dei, de quo principio in capite sequenti plura dicturi sumus. Nunc quod ad hunc locum attinet, manifestum est, cum D. Thomas ait, *agentia secundæ dare esse in virtute Dei*, nō loqui de virtute creatæ, & instrumentali, quam Deus prius natura influat in causam ipsam secundam, sed de virtute increata, quæ est idem cum ipsa essentia Dei. Inde enim inferius probat Deum immediate agere in omni agente, quia virtus Dei immediate dat esse cuiuslibet effectui quā virtus creatæ: virtus autem Dei est ipsa essentia diuina, & ideo ubique operatur virtus Dei, operatur etiam immediate ipse Deus; loquitur ergo de virtute increata. In eodem ergo sensu dicit, *quod Deus in quolibet re operatur in quantum eius virtute (vique increata) quilibet res indiget ad agendum*. Ergo respectu illius virtutis i creatæ dicuntur causæ secundæ instrumentales, non quia virtutem instrumentariam in se recipiant, sed quia in actionibus suis nituntur in virtute ipsa increata Dei, & quia ad putum voluntatis Dei operantur, & quia ab ea, ut à principali causa pendet, & illius cooperationem tanquam præcipuam motionem indigent. An vero causæ secundæ dicendæ sint principales causæ, vel instrumentales, quantum præsens materia postulauerit; in capite sequenti attingemus; siue vero vno, siue alio nomine, siue utroque diuersis rationibus appellantur (quod fortasse de modo loquendi est), nunc satis nobis est, quod ut dicuntur dare esse in virtute Dei, non oportet ut ad agendum nouam virtutem, præter connaturalem à Deo recipiant, quia quilibet naturalis virtus, quatenus firma est, & permanens ac congenita cum creatura, est virtus instrumentaria illo modo respectu Dei, & ratione sui esse non potest nisi in virtute Dei dare. Vnde in eodem articulo ad 4. ait D. Thomas, quod tam Deus, quam natura immediate operantur; & ad 5. ait, virtutem inferiorem intrinsece esse instrumentum superioris virtutis, utique Dei. Vnde subdit exclusiua superiori virtute, inferior virtus operationem non habet. Solum ergo petit ipsam virtutem diuinam, quæ inferiorem iuuat, arque ita concludimus etiam hunc quartum modum efficiendi Dei in operibus causarum secundarum, non postulare præuium influxum causæ primæ in secundam, sed per

Fr. Suarez de Gratia Part. II.

efficientiam principaliorē Dei in eandem actionem, & effectum sufficientissime perfici.

Dices ergo; quartus modus efficiendi non differt à tertio, & superflue D. Thomas tot modos efficiendi Dei cum causis secundis numerabit, cum reuera vnus tantum sit, scilicet per simultaneam cooperationem, vel ad summum duo; vnus mediatu dādo virtutem agendi, alius immediatus simul concurrēdo. Respondeo quamuis duo primi modi formaliter non pertineant ad actualem concursum, nihilominus, ut iam dixi, à D. Thomā esse præmissos non tantum hoc loco, sed etiam in aliis supra traditis, quia valde conducunt ad intelligendam radicem, & causam necessitatis auxilij, seu concursus actualis, quia ex dependentia in esse nascitur dependentia in agere. Deinde sicut priorem modum agendi per actionem remotam in duo distinxit D. Thomā, licet in re non dicant actiones distinctas, sed vnā permanentem cum duplici habitudine, ut adnotauimus in duobus modis ultimis non oportet cogitare duas actiones Dei in re distinctas, quia reuera non sunt; neque in illo art. à D. Thomā alleruntur. Imo contrariæ sententiæ assertores tam ex tertio, quam ex quarto modo positis à D. Thomā colligunt; & probant concursum præuium; nam per illum dicunt applicari causam secundam ad agendum, & per eundem moueri ut instrumentum diuinæ virtutis; ergo ex sententia illorum illi duo modi non requirunt duas actiones ex parte Dei, nos vero addimus illam actionem non esse nisi concursum simultaneum; quia per illum sufficientissime uterque modus fit. Et ex mente D. Thomā id confirmant, quia alias in omnibus illis quatuor modis cooperationem simultaneam Dei, quæ maximè necessaria est, in prima causa omisit, quod est incredibile. Scio dicturos vnā sub alia comprehendisse, quia vnā ad aliam ordinatur, sed non est hoc verisimile, quia intentio principalis erat ostendere immediatum influxum in actionem, quia hic est per se requisitus in prima causa; & hic significatur, cum dicitur Deus esse causa per se actionis creaturæ, & ad hoc declarandum tendunt tertius, & quartus modus agendi à D. Thomā positi. Illis ergo modis Deus operatur per vnū concursum simultaneum: D. Thomas autem illos distinxit, ut duas perfectiones in Deo, ut duas veluti dependentias in causa secunda nobis explicaret. Vna est, quia omnis causa secunda, quamuis naturaliter agat, non potest applicari ad agendum sine voluntate Dei, & ideo eius actio semper est in Dei dominio, & hac ratione dicitur Deus applicare causam secundam ad agendum, quia si suspendat concursum, non potest applicari: si autem illum præbeat, illam applicari sinit, & illam etiam applicat, actionem eius cum illa efficiendo. Alia est, quod Deus solus per se sufficit ad dandum esse, quia solus est ipsum esse per essentiam; creatura vero sicut non potest habere esse, nisi à Deo, ita non potest dare esse, nisi adiuta virtute Dei, quam ob causam dicitur dare esse ut instrumentum Dei pariter illud efficientis. Et ita illi duo modi magis explicant duas rationes necessitatis concursus diuini, quā duas actiones in eodem concursu distinctas. Quapropter ex toto illo corpore articuli sincere intellecto, nihil est, quod concursum non confirmet.

Solum nobis facessit negotium solutio ad primam, quia in ea videtur distinguere D. Thomā duplicem virtutem, quam Deus dat secundæ causæ, vnā per modum formæ habentis esse ratum, & firmum, aliam per modum intentionis, & motionis transeuntis, prout intellexit Ferrarius, contra gent. cap. 70. & sequenti sunt alij Thomistæ recentiores; quorum expositio olim visa est verbis con-

19.
Altera instantia.

Reiciuit.

20.
Tertia instantia.

et variis.

R. Z.

10. 12.

sentanea: tamen quia ille locus cum alijs collatus non est tantæ autoritatis, in illo examinando non multum laboraui, & taci. à D. Thomæ reuocatum dixi, quia reuera in nullo alio loco similibus verbis vsus est, neque aliquid fluens per modum intentionis in Dei concursu interuenire dixit. Nunc autem motus autoritate Capreoli, & Caietani attentius consideravi discursum illius articuli, & planè intellexi, in quarto illo modo agendi, quo D. Thomas dicit, creaturam agere per virtutem Dei, non agere de virtute instrumentaria à Deo facta in creatura, sed de ipsa virtute increata Dei, vt iam ponderaui, & ex ipso contextu manifestè ostendi. Estque modus ille loquendi satis proprius, vt D. Thomas ipse ex professo declarat 1. p. quæst. 36. art. 3. ad 4.

Capreolus.
Caietanus.

21.
Rei. citur.

Hinc vltèrius animaduerti cum proportionem intelligendum esse, quod idem D. Thomas in dicta solutione ad 7. maxime docet, non potuisse communicari creaturæ vt ageret sine operatione Dei, quia licet illi dari potuerit virtus propria, non tamen vis illa qua agit vt instrumentum primæ causæ, quæ quidem vis, vt declarauit, non est nisi ipsa virtus diuina adiuuans virtutem creatam ad agendum: igitur ideo non potest virtus creaturæ talis esse, vt non indigeat operatione Dei, quia non potest esse ipsamet virtus Dei, neque potest illi dari, vt sit vniuersale efficiendi principium, vt idem D. Thomas subiungit. Ex quibus tandem probabilissimè dici posse existimo, etiam in principio illius solutionis, non loqui D. Thomam de virtute creata fluente indita causæ secundæ, prius quam agat, sed solum de ipsamet cooperatione Dei, quam comparat D. Thomas motui instrumenti artis, non quia in omnibus seruet similitudinem, sed solum in actuali dependentia à superiori agente: in alijs vero non oportet seruari similitudinem, quia nec causæ secundæ, sunt propriè instrumenta, vt infra dicà, nec exempla oportet esse in omnibus similia.

22.
Confirmatur.

Cum ergo D. Thomas ait, præter virtutes naturales, & permanentes rerum naturalium, id quod à Deo fit in re naturali, quo actualiter agit esse vt intentionem solum, &c. de actuali quidem motione Dei intelligendum puto, non tamen ita fieri in re naturali, vt fiat in ipsa causâ secundâ, vel virtute eius tanquam in subiecto recepta (nisi quando in illa recipitur propria actio, sed ita vt generaliter, & per se loquendo fuit in re naturali quoad actionem eius, quia id, per quod immediatè Deus impat causam secundam ad dandum esse suo effectui, & ipsamet actio prout fuit à Deo, & ideo dicitur esse quali motio artis, vel ad modum intentionis. Et hoc modo facillè creditur, & rectè intelligitur, non potuisse communicari creaturæ agere hinc virtute principali Dei mouente, sed adiuuante ipsam. Procedetq; exemplum D. Thomæ cum proportionem quadam: nam sicut instrumento artis, vt securi, tribui nequit, vt absque fabri motione per se scindat, ita nec causis secundis, quæ veluti instrumenta diuinæ artis sunt, tribui potest vt sine superni artificis influxu efficiant. Ad hunc ergo modum potest ille locus exponi, vt nec assertioni nostræ, nec doctrinæ eiusdem authoris in alijs locis, imò in eodem articulo in corpore contrarius sit. Si autem alicui visum fuerit vim aliquam inferri illi literæ, potest perire in priori responsione à nobis data, nam sine dubio sententia D. Thomæ in alijs locis satis peripicua est, & in eisdem modum loquendi non corripit; quoad sensum doctrinæ saltem enunciant clariùs loquendo, quod maxime ex his, quæ de causis liberis dicemus, confirmabitur.

CAPIT. XXIX.

Quid Aristoteles, vel antiqui Philosophi de necessitate concursus præij in causis secundis naturaliter agentibus senserint.

Spere est vt de Philosophis, præsertim de Aristotele, pauca dicamus. Nam P. Alvarez ita dicit, P. Alvarez. Verba Aristotelis. Verba Augustini, & Thomæ. Ad id autem probandum adducit hæc verba Aristotelis 8. Phisic. cap. text. 33. Vtraque igitur mouere dicimus, & primum, & vltimum mouentium, sed magis primum, illud enim mouet vltimum, sed non hoc primum, sine primo quidem vltimum non mouebit, illud autem sine hoc, vt baculus, non mouebitur, nisi moueatur ab homine. In quibus verbis sentit Aristoteles quoddam baculus non mouebit aquam, nisi moueatur à manu, ita neque causâ secundâ ager aliquid, nisi moueatur à prima. Habetq; vim horum testimonium iupposito alio principio eiusdem Aristotelis, quod agentia creata non mouent nisi mota, 7. Phisic. c. 1. & lib. 8. c. 5. & intelligit de proprio motu recepto in ipso agente, quia inde concludit deueniendum ad vnum primum mouens immobile. Tandem allegat Aristotelem in lib. de caus. propof. 1. & 16. dicentem virtutem diuinam esse virtutem omnium causarum, & coniungere illas suis effectibus.

Sed in primis in his locis nihil inuenio ab Aristotele dictum de modo concursus primæ causæ cum secundâ: nam in prioribus locis non tractat de omnibus causis efficientibus, sed de mouentibus ba motu phisico. Vltimus autem locus non est Aristotelis, sed vel Procli, vt quidam volunt, vel alicuius incerti authoris Arabis, & D. Thomæ in principio Comment. eiusdem libri sentit. Deinde neque priores propositiones in vero sensu applicatæ cum proportionem ad quamcumque causam efficientem, neque posteriores aliquid obstant assertioni politæ, sed illam potius confirmant, vt statim declarabo. Prius tamen aduerto non satis constare ex doctrina Aristotelis quid ipse senserit de immediato concursu primæ causæ ad omnes actiones causarum secundarum. Nam in lib. de Mundo ad Alexandrum Dubitatur versus finem, id planè negare videtur ab illis verbis. Reliquum est vt summam differamus de causâ quæ omnia conuenit, & de qua inquit: Vetus fama est, & quidam hereditaria mortalium omnium vniuersa à Deo, & per Deum nobis esse constituta, nec verò illa natura per se scindat orbita salute, quam ipse ferat. Nihilominus statim latissimè docet Deum non immediatè ac per se ipsum omnia facere, neque omnibus præsentem esse, sed in sublimi loco existentem inde virtutem suam diffundere, primò quidem, ac præcipuè in celestia corpora, & interea efficacius in ea, quæ sibi propinquiora sunt, ac proinde hæc terrena diuinam virtutem (vt ait) infirmius participare. Vnde sic concludit. Itaque rectius est iudicare, quod etiam conueniens & Deo maxime decorum intelligitur in celo virtutem esse constitutam & plurimum remotis, vt vno verbo rem absoluiam, & omnibus in vniuersum salutem afferre, quam penerare, & eo frequenter accedere, vbi neque homines, neque liberaliter ipse per se conficeret, quæ apud nos essent. Quod postea exemplo Imperatoris humani latè declarat & suadet, ac iterum concludit. Grauius, & decentius existimabimus Deum constitutum esse summo in loco, & virtutem eius per vniuersum mundum diffundi Solem, & Lunam verjare, & celum totum conuolare, auctoritateque esse salutis eorum quæ in terra continentur. Et postea declarat illo simplici motu Deum hæc omnia interiora operari, & hoc putat ad efficaciam virtutis eius pertinere. Et miraturum faciat, Naturâ diuinâ de